



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXI. Differentia 5. Iure Canonico in spiritualibus causis non juratur de
calumnia, sed de veritate dicenda,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA §.

Iure Canonico in spiritualibus causis non juratur de calumnia, sed de veritate dicenda, c. Literas, de juram. calumn. Iure civili autem in omnibus causis etiam spiritualibus de calumnia juratur: l. 1. C. de iur. ejur. propt. calum. Bartol. 156.

I. **Q**uia de juramento in sequentibus crebra occurret mentio, generalia quaedam præmittere oportet, quorum cognitio in particularibus proficit. Juramentum aliud est iudiciale, aliud extrajudiciale. De hoc alibi plura, illius decem species numerantur à *Maranta* Part. 6. iudic. §. *Novus actus*, ex quibus præcipua sunt hæc quinque: *Primum* est juramentum calumniæ præstandum actori, reo, & advocato, quod calumniandi, id est, falsum machinandi studio nihil acturi sint. *Secundum* est veritatis, quod defertur testibus, ut de mera, & purâ veritate testentur, aliàs nihil probaturi. Neque sufficit dicere: *Puto sic esse. Si bene recorder, factum, aut dictum est. Tertio* est juramentum necessarium, seu suppletorium, quod in supplementum probationis petente parte defertur à iudice semiplenè probanti. *Quartum* dicitur litis decisivum, illi deferendum ab adversario, qui non potest probare intentionem suam; quod tamen non tenetur acceptare, sed retorquendo dicere potest, *Iuratu*. Qui recusat, post iudicis approbationem pro confessio haberi potest. *Quintum* est juramentum in litem, quod à solo iudice defertur actori, ut iuratus dicat, quanti æstimetur tota

res controversa, vel quanti sua interesse credat in universum. Vocatur etiam juramentum affectionis, cuius tres species assignat *Maranta*, qui legendus.

II. His positis, quaeritur, an in spiritualibus causis juramentum calumniæ præstandum sit? Respondet *Honorius II.* in c. *Literas, cit.* Ecclesia in his casibus, in quibus de Ecclesiæ decimis, & rebus spiritualibus tantum agitur, juramentum calumniæ nec dare, nec recipere consuevit, eò quod tales causæ non legum districtione, sed canonum æquitate finem debitum fortiantur, canones autem juramentum calumniæ in huiusmodi causis nulli prorsus indicunt.

Ex adverso *Iustinian. imp. l. 1. C. de iur. propt. cal.* In omnibus, inquit, causis si ve propter literas, fuerit apud te certatum, si ve propter instrumenta, si ve propter quicquam aliud, in quo necessitas probationis incumbit, sancimus, non aliter easd. probationes præstare compelli, nisi prius, qui eas exposcit, juramentum de calumniâ præstiterit. *V. de zor. in summ. l. 2. §. 58. Tholos. l. 48. v. 8. Vallens. l. 2. tit. 24. §. 6. Barb. inc. Cum causam, de dilation.*